

num. 183. & Chokier ad Regulam Cancellariæ 4. De Clauſula ponenda in literis permutacionum Beneficiorum, quæ hodie eſt 40. eaque cavetur: "Et ſi ex cauſa permutacionis reſignationes hiant, ponatur clauſula, quod neutri Permutantium jus acquiratur, niſi quilibet ipſorum jus habuerit in Beneficio per ipſum acquiſito.

XXIII. Hic reſreſſus ad beneficium reſignatum ex cauſa non impleta permutacionis, nequaquam comprehenditur ſub reſreſſibus quos nemini, etiam de conſenſu, ad Beneficium Eccleſiaſticum cujuſcuſque qualitatis concedi præcipit Synodus Tridentina *ſeſſ. 25. cap. 7. De Reformatione.*

Hi enim reſreſſus hæreditariam quamdam in Eccleſiaſtica beneficia ſucceſſionem aperte fovebant; dum nimirum Reſignantes beneficia ſibi expreſſe reſervabant reſreſſum ad beneficia reſignata præmoriente ipſo reſignatario; ſæpius etiam, vitâ reſignantium durante Reſervatis omnibus proventibus beneficiorum reſignatorum: quare jam pridem per Parlamenta Regia, tamquam fraudulentæ, & ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis non obſcurè præferentes re-

jecti fuere, uti videre eſt in probatione libertatum Eccleſiæ Gall. cap. 36. n. 25. & 26.

At reſreſſus ex capite non impletæ permutacionis, aut evicti beneficii, nullam hujusmodi ſucceſſionis ſpeciem præfert, neque illam fraudem; ſed tantum contingit, ut reſignans beneficium non privetur ſuo beneficio contra leges permutacionis; quæ dicunt, beneficium reſignatum non dimitti, niſi re ipſa utrimque permutatio ſuum plenum effectum fortiatur; & ipſe reſignans ſuo beneficio non exuatur, niſi ea conditione, ſi alterius conſequatur, & re ipſa obtineat, aut ſaltem per ipſum ſtet quo minus obtineat.

XXIV. Quæ tum hoc capite, tum præcedentibus juxta modernam praxim notata ſunt, ſatis probant, quàm plurima hodie invaluiſſe, quæ priſtinam Patrum diſciplinam parum redolent; imò potius profanum modum de beneficiis diſponendi expriment: ut proinde admodum circumſpectus eſſe debeat, qui iis uti intendit: ſi omnem in ſacris Miniſteriis profanationem evitare, nihilque contra Eccleſiæ ſpiritum admittere velit.

## TITULUS XXVIII.

### De Penſionibus Eccleſiaſticis.

#### CAPUT I.

Quæ natura Penſionum; & quid de iis in Synodo Tridentina actum?

1. Penſionum naturam rectè expreſſit Concilium Delectorum Prælatorum ſub Paulo III. & quod illud Conſultum?
2. Reſeruntur verba Concilii.
3. Quandonam ex ſententia Concilii Papa poſſit annuere penſionem.
4. Abusus in dandis penſionibus.
5. Descriptio penſionis hic tradita conformis penſionibus jam pridem ab Eccleſia probatis.
6. Primum exemplum penſionis ex Synodo Calchedonenſi.
7. Secundum exemplum ab eadem Synodo probatum.
8. Tertium ex illa Synodo deſumptum.
9. Nonnulla penſionis exempla ex S. Gregorio.
10. Hæc penſiones planè conformes deſcriptum à Concilio Delectorum Prælatorum tradita.
11. Priſtinus penſionum uſus nulli diſplicuit; at in abuſum degeneratus pluribus meritis diſplicuit.
12. In Synodo Tridentina à nonnullis dictum uſum penſionum eſſe reformandum.
13. Oratoribus Regis Gallie ad Synodum Tridentinam injunctum, ut poſtularerent à Synodo ſtatuum, ne ſuperius ex cauſa reſignationis, vel litigii penſio conſtitueretur.
14. Nomine Regis Gallie petita abolitio penſionum.
15. Pontifex non judicavit penſionum uſum totaliter tenendum; ſed eas cen quaſdam eleemoſynas ſubinde annui poſſe.
16. Quare nonnulli Concilii Patres omnem penſionum uſum tollendum judicarent.
17. Oratores Regis Gallie expoſtulantes contra uſum penſionum oſtenderunt, ſecutiſſimè eorum abuſum carpere.
18. Expoſtulatio eorumdem contra Decretum Synodi, quo penſionum uſus probari videbatur.
19. Primum ne Decretum fuiſſet propoſitum, multi reclamantes.

20. Quomodo tandem Decretum reformatum & admiſſum; & quod de eo Patrum judicium?
21. Nota huic Decreto ab Oratoribus Regis Gallie apoſita.
22. Proteſtatio Cardinalis Lotbaringia ſuper hoc aliſque Decretis in Synodo Tridentina evulgatis.
23. Synodus Tridentina uſum penſionum nec poſitive probavit; nec totaliter improbat.
24. Pontifex Synodo per Legatos præſidens penſiones eſſe quaſdam eleemoſynas dixit.
25. Sanctus Carolus foriter ſe introductioni penſionum oppoſuit, conformiter ad menſem Synodi Tridentina.
26. Uſum tamen totaliter non improbat; ſed eandem de iis ideam expreſſit, quam Concilium Delectorum Prælatorum expreſſerat.

I. Eniſſimam ac planiſſimam Penſionum Eccleſiaſticarum deſcriptionem exhibuit ſub initium præteriti ſæculi Conſilium Romanum ſub Paulo III. quod communiter vocatur, *Conſilium Delectorum Prælatorum ſub Paulo III.* extatque in antiqua Collectione Conciliorum Crabbiana; atque deinceps frequenter reſuſcitum, & à viris doctiſſimis ſummopere laudatum; ejuſque meminit Joannes Coclæus in libro de actis & ſcriptis Lutheri ad annum 1539. ubi hæc de illo Conſilio inter cætera ſcribit: "Evulgatum fuit, inſcio, Pontifice, egregium quoddam conſilium de reformanda Eccleſia, & emendandis Romanæ Curie abuſibus, à ſeptem (credo legendum novem) doctiſſimis ac integerrimis viris ipſi Pontifici in ſecreto datum: nempe à Card. Contareno, Card. Theatino, Card. Sadoletto, Card. Polo Anglico: Archiepiſcopis Salernitano & Brundufino, Epifcopo Veronenſi, Abbate S. Georgii Veneto, & à F. Thoma Magiſtro ſacri Palatii." Hæc ille, qui paulo infra vocat, hoc piſum ac ſalutare optimorum virorum Conſilium.

II. In hoc Concilio Doctiſſimi illi ac integerrimi viri penſionum naturam ac rectum uſum his verbis expreſſerunt. "Alius abuſus, cum beneficia conferuntur, ſeu cum ceduntur aliis, irrepit, in conſtituendis ſuper eorum fru-

ctibus penſionibus; imò quandoque cedens beneficio omnes ſibi fructus reſervat. Qua in re illud eſt animadvertendum, nulla alia de cauſa, nulloque alio jure Penſiones conſtitui poſſe, niſi ut quaſdam eleemoſynas, quæ in pios uſus & indigentibus concedi debent.

Fundamentum ſui aſſerti dein ſubiungunt: "Næſi reſtitus ſunt annexi beneficio ut corpus animo: ideo ſua natura pertinent ad eum qui beneficium habet, ut poſſit ex eis vivere honeſtè pro ſuo ordine, ſimulque queat ſuſtinere impenſas pro divino cultu, & templi ſacratumque aditum reparatione, & quod reliquum eſt, impendat in pios uſus; hæc eſt enim natura reddituum.

III. Poſthæc exponunt qua rationes, & quo caſu Pontifex Penſionem conſtituere poſſit. "Verum ſicuti in rerum natura adminiſtratione nonnulla ſunt à natura univerſali præter inclinationem univerſalis nature: ſic in Pontifice, qui eſt univerſalis diſpenſator bonorum Eccleſiæ, ſi viderit eam fructuum portionem quæ in pios uſus expendi debet, aut ejuſdem partem in pium quempiam alium uſum, ut expendatur magis expedire, poteſt procul dubio id facere. Ideò jure merito penſionem ponere poteſt, ut ſubveniat egeno, præſertim Clerico, ut honeſtè queat vitam ducere, pro ejuſdem ordine.

IV. Ex his dein concludunt: "Ideò omnes fructus reſervari adimique id omne, quod divino cultui, ſuſtentationique habentis beneficium, tribui debet, magnus eſt abuſus. Itemque penſiones dari Clericis divitiſus, qui commode & honeſtè vivere queunt ex redditibus quos habent, magnus certè abuſus, tollendus uterque.

V. Itaque ex ſententia hujus laudatiſſimi Patrum Concilii, penſiones aliud non ſunt, quàm portio aliqua proventuum quæ honeſtè ſuſtentationi habentis beneficium ſuſtinetur, per modum cujuſdam eleemoſynæ in ſuſtentationem alicujus Clerici reſervata vel assignata.

Hæc penſiones Eccleſiaſtica deſcriptio, ſi conferatur cum penſionibus, quas priſtina Eccleſiæ diſciplina admittit & probavit, apparebit, eam eſſe veriſſimam, ex mente Eccleſiæ, penſionis deſcriptionem, & naturam; neque aliam unquam ab Eccleſia fuiſſe approbatam; licet nonnullas penſiones huic deſcriptioni haud conſonas tolerare cogatur.

VI. In Concilio Calchedonenſi *Actione 10.* legitur, quòd Maximus ordinatus Epifcopus Antiochenus in locum Domni per Synodum depoſiti, rogaverit Patres Concilii ut humanitatem in Domnum exercere vellent, assignando ei aliquam portionem proventuum Eccleſiæ Antiochenæ in ſuſtentationem. Verba Maximi ſunt: "Deprecor magniſcentiſſimos & gloriſſimos judices, & ſanctam hæc & univerſalem Synodum, ut humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ Epifcopus, dignemini, & ſtatuerent ei certos ſumptus de Eccleſia quæ ſub me eſt.

Ad hæc Legati Sedis Apoſtolice reſponderunt: "Si quidem Maximus ſuo arbitrio Domno voluerit eſſe conſultum, ut ſumptus ei de ſua Eccleſia, miſerationis intuitu, prout æſtimaverit, largiatur, ut contentus alimonis, quiete in poſterum.

Hoc reſponſum tota Synodus, una cum judicibus, qui nomine Imperatoris Marciani aderant, comprobavit.

VII. In eodem Concilio *Actione 12.* diſcuſa cauſa Stephani & Baſilii de Sede Epheliſina contententium, judicatum fuit, in utroque remoto tertius ordinaretur Epifcopus Epheliſinus, ſub hæc moderatione: "Removebantur quidem à ſancta Epheliſiorum Eccleſia Baſianus & Stephanus reverendiſſimi; habeant autem dignitatem Epifcopi, & ex redditibus memoratæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ, nutrimenti gratia & conſolationis, annis ſingulis ſolidos aureos ducentos accipiant, alter vero ſecundum regulas ejuſdem ſanctiſſimæ Eccleſiæ, Epifcopus ordinabitur.

Tamen ſi hic penſionis nomen expreſſum non ſit, nemo tamen negaverit, quin revera hiſce Epifcopis ex redditibus

Eccleſiarum quas deſerere coacti erant, miſerationis intuitu, & nutrimenti cauſa concedi fuerit, probante Concilio univerſali, quaſdam portio, coincidens cum ea, quæ hodie *penſio* dicitur; ſi modo ea detur juxta deſcriptionem & uſum ex citato Concilio propoſitum.

VIII. Eſt aliud in eodem Concilio Calchedonenſi Penſionis exemplum non abſimile prioribus; in quo tamen & illud notandum occurrit, quod expreſſe caveatur, ut penſio non tantum commenſuretur neceſſitatibus ipſius Penſionarii, ſed inſuper facultatibus Eccleſiæ cui imponitur: idque ſecundum conditionem proventuum Eccleſiaſticorum, quæ exigit, ut ex iis prius provideatur honeſtæ ſuſtentationi Miniſtrorum aliſque neceſſitatibus Eccleſiæ; & tum demum, ex ſuperſuis aliis indigentibus, etiam Clericis ſuccurratur, quemadmodum prædictum Concilium Delectorum Prælatorum notavit.

Voluit ergo Concilium Calchedonenſe *Actione 14.* ut caſu quo Athanaſius reſtitueretur Eccleſiæ Parthenorum, tunc Sabiano, qui in locum Athanaſii fuerat ordinatus, daretur penſio. Verba Concilii ſunt: "Sabianus verò reverendiſſimus Epifcopus, & dignitatem Epifcopatus habeat, & ſubſtitutus ſit, & paſcatur, ſicut Reverendiſſimus Epifcopus Antiochenus Maximus, ſecundum facultatem Parthenorum ſanctiſſimæ Eccleſiæ, diſpoſuerit.

IX. Similia penſionis exempla non pauca occurrunt apud S. Gregorium, ac ſignanter *lib. 1. Epiftole 7.* ubi Eucherio Epifcopo ſcribit de quodam Epifcopo, quod ſi verum ſit, eum tantam capius paſſionem incurtiſſe; ut quod mente alienata agere ſolet, gemitus & ſletus audire ſit, alius in locum ejuſ ordinetur: ſic tamen, ut quotiſque eundem in hoc ſæculo vita tenuerit, ſumptus ei debiti, de eadem Eccleſia miniſtrantur.

Species quoque penſionis dici poteſt ſubventio quam idem ſanctus Pontifex ſubminiſtrari vult Epifcopis, quos hoſtilitatis furor ex Eccleſiis ſuis expulerat, & captivitatis diverſarumque neceſſitatum anguſtiæ comprimebant: de quibus ad Epifcopos per Illyricum conſtitutos ita ſcribit *lib. 1. epiftole 43.* quod hos debeant conſolandoſque ſibi in Eccleſiaſticis ſuſtentationibus liberet ſuſcipere. "Non quidem ut per communionem Epifcopalis throni dignitas dividatur, ſed ut ab Eccleſia juxta poſſibilitatem ſufficientia debeant alimenta percipere.

X. Hæc aliæque probata penſionis exempla ſi expendantur, & conferantur cum deſcriptione, quam citatum Concilium Delectorum Prælatorum delineavit, patebit, penſiones jam pridem ab Eccleſia probatas planè coincidere cum ea Prælatorum deſcriptione; atque penſiones revera ex intentione Eccleſiæ non eſſe concedendas, niſi ut quaſdam eleemoſynas Clericis indigentibus.

XI. Quamdiu autem ea Penſionum moderatio ſervata fuit, nulla quoque legitur contra eas facta Eccleſiæ oppoſitio. Sciebat enim hæc nihil injuſtiæ ſubteſſe, ſi ex proventibus Eccleſiaſticis, qui ſuſtentationi Miniſtrorum Eccleſiæ ſuperſunt, neceſſitatibus aliorum Clericorum indigentium provideatur.

At tum labentibus ſæculis prætextu Penſionum ceperunt proventus Eccleſiaſtici veris Titularibus & Miniſtris Eccleſiarum ſubtrahi, & aliis non indigentibus indifferenter & ſine ulla moderatione reſervari, cum ſumma proventuum Eccleſiaſticorum inverſione & dilapidatione, nequaquam deſuere, qui hujusmodi abuſu reſervationum, pallio Penſionum tecto, ſe oppoſuerunt dicentes Penſionum hunc non eſſe legitimum uſum, ſed maximum abuſum.

Plura in decurſu hujus materiæ occurrunt, quæ hanc oppoſitionem probant, hic dumtaxat oſtendam, quid in Synodo Tridentina de uſu Penſionum dictum ſtatutumque fuerit, & an alium probaverit, quàm eum quem expreſſit Concilium illud Delectorum Prælatorum, quod ipſi Concilio Tridentino præluſerat, & ſpecialim à Paulo III. indi-



ctum fuerat, ut abusus in futuro Concilio Tridentino reformandos notaret, & sincerè exponeret.

XII. Legitur in historia Concilii Tridentini quod in Congregatione die 5. Martii anno 1546. occasione querelæ Episcopi Bitontini, qui ob non solutas Pensiones suo Episcopatu imponitas à Pensionariis suis citabatur Romam coram Auditore Rotæ, nonnulla de Pensionum usu dicta fuerint; atque inter alia à quibusdam Patribus dictum. "E-  
"quum esse, & olim receptum, ut Ecclesiæ opulentæ te-  
"nues sublevent; caritate scilicet adducti, non vi adacti;  
"sed non eum in modum ut sibi necessaria adimant. Eam  
"enim D. Pauli esse doctrinam. Verum, ut Antistes ino-  
"pes de dimensio suo, quod ipsis sustentandis vix sufficiat,  
"cogantur demere, quod in divites conferant, id quidem  
"haud esse tolerabile. Imò caput esse, de cuius reformatione  
"in Concilio sit agendum, rebus ad veterem usum verè  
"Christianum revocatis.

XIII. Inter articulos instructioni datos Oratori Regis Galliæ ad Synodum Tridentinam anno 1562. unus erat quo petebatur, ne posthac pensiones constituerentur super Beneficiis resignatis aut ligii causa. Verba instructionis erant: *Que doreſnavant ne se puisse tenir pensions sur Benefices que l'on resignera, ne pareillement constituer sur Benefices pour droit prétendu.* Habetur in libro cui titulus: *Memoires pour le Concile de Trent. pag. 174.* editionis Parisiensis 1654.

XIV. His instructionibus insistent Orator Regius, anno 1563. Patribus Concilii nomine Caroli IX. Regis Galliæ inter alios articulos reformationis hic vigesimus quintus propositus fuit: "Pensiones super beneficiis non constitu-  
"antur, & quæ sunt constitutæ tollantur, quo redditus Ec-  
"clesiastici in alimenta Pastorum, & pauperum, aliosque  
"usus pios transferantur.

XV. Articuli hi ab Oratoribus Regis Christianissimi Concilio oblatis per Legatos Sedis Apostolicæ ad Pontificem missi fuere, qui plures quidem illorum probavit, sed non omnes; ac notanter hunc se non posse in totum probare, affirmans, pensiones esse *elemosinas*, quarum distributio ad suam Sanctitatem spectat. Ita sibi à Cardinale Borromæo, id est, S. Carolo, relatum esse scribit ad Catharinam De Medicis matrem Regis tunc regentem insulanus vulgò *De Liste* Orator Regius apud Pontificem. Verba Epistolæ sunt: *Madame, le Pape à receu les articles de reformation* "présentez au Concile par les Ambassadeurs du Roy. Mon-  
"sieur le Cardinal Borromæo m'a dit que Sa Sainteté les ap-  
"prouve en grand partie, mais non en tout: parce qu'ils  
"préjudicient aux préventions, & quelque autres droits;  
"mais principalement il trouve mauvais que les pensions  
"sont tolluës par ladite reformation, disant que ce sont des  
"aumônes que sadite Sainteté à droit de faire par tout.

Ex his patet, quod tamen Pontifici non videretur omnis pensionum usus tollendus, nihilominus factus sit ipse, eas non nisi ut *elemosinas*, etiam à pontifice, esse dispensandas: ac per consequens ideam Pontificis de natura pensionum coincidisse cum ea quam sæpe dictum Concilium Delectorum Prælatorum expresserat.

XVI. Licet nec ipsi Galli cæterique Concilii Patres diffiteri possent, quin usus pensionum, si ut quædam elemosina Pastorum aliisque Clericis indigentibus ex iusta causa & moderatione distribuere, nequaquam esset improbandus: nihilominus experientia edocti, quam infami & sacrilego modo proventus beneficiorum obtentu pensionum dilapidarentur, quantaque hæc dissipatio secum traheret mala, usu earum admissio, ab usum impedire non desisterunt & contra pensionum usum ulterius Patrum zelum excitare, & earum sublationem, aut saltem restrictionem urgere.

XVII. Et quidem Oratores Regii in sua ad Legatos & Patres Concilii Tridentini expositatione 22. Septembris 1563, ostendere volentes: "Legibus Regni, aut Ecclesiæ Gal-  
"licæ nihil omnino contineri, quod repugnet dogmati-

bus Ecclesiæ Catholicæ, antiquissimisque Pontificum  
"Decretis, & Ecclesiæ universalis Conciliis. "Inter alia di-  
"cunt: "Non prohiberi Episcopum, qui neque sacras Lite-  
"ras docere neque predicare unquam didicerit, se Episco-  
"patu, si velit uti debet, abdicare: Benemeritum autem,  
"qui per ætatem aut morbum amplius Episcopi munere  
"fungi non potest, coadjutorem accipere & in hac tantum  
"specie pensionem retinere. Nam extra hanc speciem, si  
"quis velit colore pensionis quaerit, ut pluralitatis pro-  
"hibitionem eludat, super beneficio pensionem constituit.  
"re aut in favorem renuntiare, aut cum regressu, aut cau-  
"sari, & defendere pluralitatem beneficiorum ex nova &  
"bonis sæculis incognita personarum & sacerdotiorum  
"differentia &c.

XVIII. Cumque hæc expositatio à nonnullis carpere-  
"tur, coactus fuit ejusdem Auctor Apologiam edere, in qua  
"inter cætera dicebat: "Nec pœnitent dixisse, multa esse in  
"his articulis, quæ cum Patrum antiquis Decretis pug-  
"nant, ut de beneficiorum pluralitate, *pensionibus*, resigna-  
"tionibus in favorem &c.

Articuli, quorum hic mentio fit, erant capita reformationis  
"sessione 24. evulganda, quorum decimo tercio decer-  
"nebatur, ut "in posterum, omnes hæc Cathedralis Ecclesiæ,  
"quarum redditus summam ducatorum mille, & parochia-  
"les, quæ summam ducatorum centum secundum verum  
"valorem, non excedunt, nullis pensionibus, aut reserva-  
"tionibus fructuum graventur.

Hoc Decretum, quamvis pensiones positivè non prober,  
"à nonnullis Patribus, non Gallis dumtaxat, sed & aliis, proba-  
"tum non fuit; eo quod dum earum usum non nisi in te-  
"nuioribus Episcopatibus & beneficiis curatis improbat, in  
"reliquis eum probare; aut saltem abusus qui pensionum  
"prætextu invaluerat, à Concilio non sat efficaciter præcin-  
"di videretur.

XIX. Refert Cardinalis Palavicinus in Historia Con-  
"cilii Tridentini *lib. 18. cap. 6 n. 1.* quod pro formandis arti-  
"culis reformationis evulgandis *sess. 22.* proposita capita qua-  
"tuordecim fuerint, non undecim, sicut Suavis narrat.  
"Deinde subiungit: "Causa cur postea ad undecim fuerint  
"redacta, hæc fuit, quoniam duobus ex illis lex apponeba-  
"tur, pensiones coarctans, ne scilicet in posterum id oneris  
"imponeretur Episcopis & Parochis, quorum alteri non  
"supra quingentos aureos ex annuo proventu reciperent,  
"alteri non supra quinquaginta. Sed Episcopi vocabantur  
"personis abominati, quippe ipsorum auribus animif-  
"que permolestum, negarunt illud sibi adjecta etiam li-  
"mitatione probatum iri. Et quamquam opponeretur, à  
"Concilio Lateranensi & Viennensi, & à Tridentino  
"pariter sub Paulo & Julio pensionum consuetudinem  
"fuisse receptam, non tamen acquievit. Quapropter  
"conventum est, ut sanctiones ea de re aliàs ex professio sta-  
"tuerentur.

XX. Cum ergo de articulis reformationis sessione 24.  
"edendis ageretur, rursus hæc pensionum materia proposita  
"fuit, atque caput 13. quæ parte de pensionibus statuebat ver-  
"bis utebatur generalibus, nimirum ut nullum beneficium,  
"majoribus pensionibus gravari posset, quam *tertia* partis  
"fructuum, aut valoris eorumdem, secundum id quod usu  
"obtinuerat, cum pensiones introductæ sint: ut narrat hi-  
"storia ejusdem Concilii. "Verùm id Cardinali Lotharingio  
"non expedire videbatur: quod essent beneficia quædam  
"admodum opima quæ tamen duas solverent, gravari ta-  
"men non intelligerentur: alia verò adeo tenuia, ut pensio-  
"nem perferre non possent; adeoque iniquam esse hanc di-  
"tributionem. Quare fatuus esse prohibere, ne Episcopatus  
"valoris mille coronatorum, & parochiales Ecclesiæ cen-  
"tum, pensionibus gravarentur; de cæteris nulla mentio-  
"ne facta.

Hoc Lotharingii medium à majore parte Patrum lauda-  
"tum fuit, & Decretum conformiter exaratum, & evulga-  
"tum, exatque *sess. 24. cap. 13.* non quod illud abusus pen-  
"sionum

num penitus eliminando crederent sufficere; sed quod  
"temporum conditio & consilio fortius remedium non pa-  
"terentur, ut ipse Historicus innuit; cui non contradicit Pa-  
"lavicus hoc unum in eo arguens *lib. 23. cap. 11.* quod huic  
"Concilii Decreto opponat: *longè majus expectatum fuisse*  
"remedium deterrimo pensionum abusu: ostendere stu-  
"dens remedium integrum expectari non potuisse.

XXI. Oratores Regis Christianissimi exemplar Decre-  
"torum ad Regem mittentes, huic de pensionibus Decreto  
"hanc notam apposuerunt, et si haud ignorarent, illud suggeren-  
"te Card. Lotharingio ita fuisse exaratum. "Hic non obscure  
"significatur pensiones constitui & reservationes fructuum  
"fieri posse tum in Cathedralibus Ecclesiis, tum in paræ-  
"ciis si modo summam centum aureorum annuus redditus  
"earum excedat. Quod tum maxime adversatur iis quæ  
"in mandatis à Rege nostro accepimus. Nulla enim ratione,  
"nulloque casu, fructus aut eorum partem reservari vult  
"Rex, neque conditionaliter aut dimidiatè, sed simpliciter  
"tantummodo beneficia ejurari, ut integri fructus ad eum  
"qui beneficio incumbit perveniant. Et sanè, si aliter fiat,  
"frustra aliquid statueretur post hoc adversus eos, qui plu-  
"ra possident beneficia. Facile enim cedent beneficiis, si eo-  
"rum fructus liceat retinere.

XXII. Non dubium proinde hoc unum fuisse à Decretis  
"Concilii Tridentini, cui congruit declaratio & protestatio  
"Cardinalis Lotharingii, tum suo, tum omnium aliorum  
"Galliæ Episcoporum nomine facta coram Patribus Con-  
"cilii in ultima ipsius Concilii sessione. "Cum nudius ter-  
"tius (ait) meam de reformationis articulis dicerem sen-  
"tentiam, præfatus sum etiam me valde cupere, ut præca-  
"illa Ecclesiastica restitueretur disciplina; sed cum his cor-  
"ruptissimis temporibus & moribus intelligam non posse  
"ea quibus maxime opus est, protinus adhiberi remedia;  
"interim assentiri, & probare ea quæ nunc sunt decreta:  
"non quod ea iudicem satis esse ad integrum agrotantis  
"Reipub. Christianæ curationem, sed quod sperem his  
"prius lenioribus fomentis adhibitis eum graviora medi-  
"camenta pati potuerit Ecclesia, Pontifices Maximos, &  
"maximè D. N. Pium pro sua insigni pietate & pruden-  
"tia diligenter curaturum, ut ea quæ desunt implens, &  
"efficaciora inveniens remedia, in usum veteribus jam  
"diu abolitis revocatis Canonibus, & maxime quatuor  
"veterum illorum Conciliorum, quæ quantum fieri po-  
"terit, observanda esse censeo; vel si expedire videbi-  
"tur, frequentiori œcumenicorum Conciliorum celebra-  
"tione, morbum ab Ecclesia propulsans eam suæ pristi-  
"næ restituat sanitati. Hanc autem meam mentem, & sen-  
"tentiam tum meo, tum omnium Galliæ Episcoporum  
"nomine acta referri volo, & ut id fiat à Notariis peto &  
"postulo.

XXIII. Itaque ex iis quæ in Synodo Tridentina acta  
"sunt, non obscure est, Patribus usum pensionum appa-  
"ruisse odiosum, multisque abusus obnoxium; usum à  
"Synodo nonnihil fuisse restrictum circa Episcopatus & be-  
"nificia Curata tenuiora; neque ullibi positivè probatum,  
"quamquam nec omnino improbatum, licet id à multis  
"postulatum esset: obsequens in hoc intentioni Pontificis,  
"qui eas ut quædam *elemosinas* per Pontificem distribuen-  
"das retineri volebat, ut supra notatum fuit.

Unde nec verisimile est, Synodo aliam fuisse de pensio-  
"nibus ideam, quam quæ à Concilio Delectorum Cardina-  
"lium expressa est; & conditioni proventuum Ecclesiastico-  
"rum & SS. Canonibus conformis.

XXIV. Ulterius hoc habetur, quod licet Pontifex, qui  
"Synodo per suos legatos præsedebat, eamque moderabatur,  
"responderit, usum pensionum non esse omnino improban-  
"dum, aut vetandum, nihilominus factus sit, eas ceu quædam  
"*elemosinas* esse distribuendas. Unde alio sensu eas toleran-  
"das Synodum iudiciale verisimile est.

XXV. De qua Synodi mente optime instructus S. Caro-  
"lus Borromæus, qui præcipuus in directione Synodi partes  
"Vni Epen Jur. Escl. P. II.

habebat, atque supradictum responsum Pontificis retule-  
"rat; & unà sciens, quam difficulter intra hos limites pen-  
"sionum usus contineatur, si usus earum semel invaliscat, vix  
"earum in suam Diocesim admittit; & introducere volenti-  
"bus strenuè se opposuit, quemadmodum vitæ ejus scrip-  
"tor testatur *lib. 7. cap. 35.* verbis sequentibus: "Fructus suos  
"unicuique Ecclesiæ, Presbyterique singulis, integros re-  
"linqui curavit vehementer, & effecit. Eo namque pri-  
"mum Ecclesiam capescente; vel magna ex parte, vel toti,  
"alienis hominibus erant reservati: ex quo fiebat, ut qui  
"essent aliquo numero Presbyteri Sacerdotia recusarent;  
"quorum facultatibus, pro dignitate, vitæ cultum mini-  
"mè possent conservare. Qui verò accipiebant, parvi pre-  
"tium homines, neque doctrina, neque autoritate satis mu-  
"neri suo facere valebant: ut præter Sacerdotis, ut tempora  
"sunt, ex ea re contemptum; neque sacra supplices pro de-  
"coro parari; neque refici, vel ornari Ecclesiæ; neque facta  
"tecta haberi possent.

"Igitur, pergit auctor, neque pensionis onus vel mini-  
"mum cuiquam Ecclesiæ imposuit unquam; & si quis for-  
"tè per auctoritatem superiorem obtinere vellet, contra  
"totis viribus pugnavit.

"Cum ex Præposituræ facultatibus, ex suis quidam, quo  
"plurimum utebatur, annuam pensionem sibi ferè impe-  
"trasset; ea Carolus ut auferretur, statim effecit. Neque a-  
"lius postea unquam conari aliquid simile ausus est.

XXVI. Unum tamen pensionis exemplum à Carolo im-  
"positæ subiungit dictus auctor: è quo intelligimus, usum  
"pensionum à Carolo non totaliter improbatum, ac unà vi-  
"demus eandem de pensionibus huic Sancto fuisse idæam,  
"quæ fuit Concilii Romani Delectis Prælati.

Sacerdoti tantum pensionem concessam scio. "Is cum  
"Ecclesiæ diu utilem sanè operam pro doctrina, virtutèque  
"sua navasset, demum multi laboris Parochiam habens,  
"infirmaque valetudine confectus, cum eam relinquere co-  
"geretur; neque aliunde haberet vitæ sumptum; modera-  
"tam pensionem ex Ecclesia sua, quæ erat ex locupletiori-  
"bus, à Carolo accepit.

## CAPUT II.

Quæ usum pensionum reddant odiosum?

1. Reservatio pensionis odiosa ex omnium Canonista-  
rum sententia.
2. Quia contrariatur juri communi.
3. Per pensiones necessaria substrahuntur Ministris  
Ecclesiæ.
4. Hoc incommodum quomodo senserit S. Carolus.
5. Defraudatur Fabrica Ecclesiæ.
6. Proventus Ecclesiastici contra eorum naturam ce-  
dunt non servientibus.
7. Multi occasione pensionum acceptant beneficia sine  
intentione deservendi.
8. Per pensiones illudisur Canonibus veteribus plura-  
litatem Beneficiorum.
9. Per pensiones sic ut unus plurimum stipendia vin-  
dices.
10. Pensionarii nonnumquam similes iis, qui beneficia  
sub modico stipendio dabant.
11. Pensionarii non secus ac Simoniaci spiritualia cum  
temporalibus commutant.
12. Pensiones faciunt, ut non habeatur de meritis Pro-  
moverendorum recta discussio.
13. Pensiones occidunt pauperibus aditum ad beneficia.
14. Usus pensionis facit, ut nulli gratis ad beneficia pa-  
teat accessus.
15. Concluditur merito potuisse postulari totalem pensio-  
num abolitionem.